

Forfatter: Arrebo, Anders

Titel: Udrag fra Hexaëmeron

Citation: Arrebo, Anders: "Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965", i Arrebo, Anders: *Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965*, udg. af VAGN LUNDGAARD SIMONSEN ; Jørgen Glahder , Munksgaard, 1965-83., s. 16. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-arrebo01val-shoot-idm140030268568592.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965

*Non omnis ævi, nec ingenii omnis laus fuit unquam, aut in posterum erit, omne tulisse punctum, miscuisse utile dulci, grave facili, masculum acuto, cordatum vivaci, sanctum hilari, splendidum devoto, fæcundum pulcro, magnificum miti, qvadratum rotundo, floridum cælesti. Hæc omnia unum Hexaëmeron Arctoi Maronis & Danici Nasonis B. M. Viri M. Andreæ Christiani Arinsulani, Episcopi qvondam Nidrosiensis in Norrighia, à torrente & magnificâ dicendi copiâ apprimè commendabilis, admirando & prorsus inusitato compendio junctim complectitur. Etenim, si verè auguror, huic Poëtico sex dierum operi adjecta videbit oculata posteritas doctorum pariter ac indoctorum puncta. Idque; haut injuria. Elucet in eo utilitas dulcedine qvadam imbuta, renidet facilis stili gravitas, viget masculum sententiarum acumen, spirat in singulis lineis animandorum affectuum vivacitas, tripudiat sancta mentis hilaritas, emicat devotus impigrè currentis calami splendor, abundat pulcerrima admirandæ inventionis fæcunditas, eminet blanda magnificentia, qvadrata disertorum verborum rotunditas ubivis locorum bellè sibi constat, & ut paucis multa complectar, floret in eo planè cælestis Flora. Advola igitur florentissime juvenis, & dum tempus sinit, carpe hanc Floram, donec vegeti ingenii tui rami consimilium bonorum versuum facti fuerint feraces. Ades dum virile & blandum sexus utriusquedecus, atque; ex hoc augusto torosi carminis Hexaëmero novas ferventesque; vires collige ad pangendum carmen viro dignum, & cogita: Non semper est Auctumnus, annus aut dives. Prodi venerande senex, ex eodem senii tui serium oblectamentum cape. Sic perpetuò vernans hæc rediviva Poësis, vobis sedulis imitatoribus & admiratoribus, nunquam apud gratam ac frugis bonæ posteritatem consenescet. Scripsit Hauniæ 8. Septemb. Anno Jesu Christi 1661.*